

missio fere diffilierint; quanquam aliae etiam fuerint confes-
sae, maiorem fere se delectationem ex coitu satanico sensisse,
quam ex priorum maritorum concubitu, et propterea
soepe horum complexum auersatas daemonicum antepo-
suisse. vid *Osiander* l.c. p. 164. seq. Accedit, quod ille,
qui emittit, non vero qui transfert, generet. Hinc neque
in corpore assumpto Diabolum generando substantiam pro-
ducere posse, sole meridiano clarius est.

§. VII.

Quod si vero Daemon in corpore assumpto agit succu-
bum, atque semen a venefico in uterum immissum accipit,
neque tamen ita generare poterit, quia longe plura requi-
runtur, ut mulier concipiens generet, ac in viro semen emit-
tente, nempe seminis masculini subtiliores, spirituosas, acti-
uas et energeticas partes retinere, digerere, ouulis ex arte-
riis spermaticis per glandulas testiculorum alimoniam prae-
baere, foetum alere, in lucem edere, sustinere anxios labo-
res, infantes alere, lacte nutrire &c. Quis hinc non videt,
neque ita Daemonem generare posse substantiam? Corpus
etiam assumptum vel est ex vaporibus confectum, et sic in
eo nullum ouum, neque stamina a uirili semine fouenda at-
que extendenda, habet, vel si est reale atque solidum, tum
cadauer est defuncti, quod vero cum anima rationali sit de-
stitutum, neque inde viuum, quomodo eius ouarium pot-
est reddi prolificum seu viuificari, praecipue quando Phy-
sici heic liquorem etiam foeminae prolificum requirunt,
quem in corpore mortuo, ubi circulatio sanguinis deficit,
frustra quaesueris: Praeterea etiam tubae Fallopianae, per
quas subtilis portio seminis testibus est adducenda, in de-
mortuis sunt flaccidae, et extremitatibus ab ouariis remotae
pendent, atque adeo aerae seminali accessum denegant,
multo minus ergo Diabolus hoc semen immissum cum vir-